APOSTOLORUM CANONIZATIO,

SIVE

DE S. SPIRITUS ADVENTU

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONT. MAX.

A JOANNE BAPTISTA DE MARI JANUENSI

Sem. Rom. Convict.

ANNO MDCCXII.



ROMÆ, MDCCXII. Novis Typis Cajetani Zenobii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

232

Digitized by Google

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

JOANNES BAPTISTA DE MARI.

FELICITATEM.

T*Uos ante oculos ſiſto*, BEATISSIME PATER, *Orationem hanc meam: quam eo etiam conſilio Tuo Nomini inſcriptam volui, quòd ad imminentem propediem Sanctorum Canonizationem alludat, quam non ſine ſumma Populorum expectatione ſplendidiſſimè adornas. Et ſanè dum Sio-*

nis

Digitized by Google

nis Cœnaculum , imminenteſque Primis Eccleſiæ Magiſtris ardentes Linguas intueor ; videor mihi ex non levi conjectura poſſe colligere , in ipſa Pentecoſtes die à Divino Spiritu primam fuiſſe Canonizationem exhibitam , cujus exemplar Romani deinde Pontifices identidem imitarentur . Habes igitur, Beatissime Pater , *conſilium meum : Utinam Tuum omnes intelligant ; cum enim , ex quo ſuper* Petri *Cathedram ſedes , non* Optimi *ſolum* Principis , *ſed omnes etiam* Pastoris Maximi *partes impleveris ; id unicè deerat , ut bene jam de Chriſtiana Republica meritus , bene etiam de Superis ipſis mereveris : additiſque Cœlo novis quodammodo Stellis triſtem Europæ faciem ſerenares .*

Digitized by Google

ORATIO.

IGnis ille, quo hodierna die Act. 2. 3.
Sionis Cœnaculum conflagravit, aliud nil eſt, BEATISSIME PATER, quàm Baptiſmus ignis, quo abiturus in Act. 1. 5.
Cœlum Redemptor Noſter, ab omni terrenæ labis contagio, Apoſtolorum mentes purgaturum ſe eſſe promiſerat. Illas verò Linguarum imagines, quæ diſpertitæ ſingulorum capitibus inſedere; Divini Spiritus Linguas fuiſſe crediderim, quibus Eccleſiæ Inviſibilis Sponſus Primos illos Fidei Magiſtros Sanctorum faſtis adſcripſit. ib. 2. 3.

Et ſanè duobus ſemper quælibet Sanctorum, quam vocant, Canonizatio, perfici in Eccleſia Romana conſuevit. Alterum eſt, ut exquiratur primò, an, qui Cœlo inſerendus eſt, Heroicarum virtutum laude floruerit. Alterum, an vel numero, vel magnitudine prodigiorum ejus Sanctitatem probaverit Deus. Quod ſi nec illi virtutes communem prætergreſſas modum, nec ſignorum ſuffragia defuiſſe deprehendatur;

Digitized by Google

tur; tunc ab Eccleſiæ Viſibili Sponſo inter Sanctos adſcribitur.

Idem planè in ipſo Pentecoſtes die Apoſtolis contigiſſe putaverim: Cum enim Spiritus Increatus ſuam illam Apoſtolorum Canonizationem futurarum exemplar eſſe
Pſ.66 10. vellet, & normam: Immiſſo primùm divinitus igne eorum Corda examinavit: Mox abſumptis eo charitatis incendio, omnibus, quas humana infirmitas aſperſerat, maculis; loquaces illas linguas ſuper eorum capita depluit, quarum facundo ſilentio jam Cœlo adſcripti, & in Sanctorum relati numerum declarentur.

Quid jam hìc in tam ſplendida Canonizatione deſideremus, præclaras ne virtutes, an virtutum argumenta, miracula?
1.Reg.10. At quæ mutatio Dexteræ Excelſi, poſt
6. Matt.20 quam in eos Spiritus Domini inſiliit! Qui
21. Joa. 20. primas Regni ſedes aucupabantur: qui Ju-
19. Matt.26. deorum metu continebant ſe domi: qui
31. percuſſo Paſtore diſperſi ſunt: qui demum,
Joa. 18. dum Dominus traheretur ad necem, aut
25. aufugerant, aut Magiſtrum negaverant; mutatis nunc in contraria ſtudiis feroces quodammodo, ac ſuperſtitioni terribiles è

late-

Digitized by Google

latebris prodeunt, omnique depoſito mortis metu, luce palam Judeis ſurrexiſſe prædicant, quem tanta cum animorum conſenſione è cruce ſuſpenderant. *Act. 4. 33.*

Tam vividæ Fidei miraculorum par pompa non defuit. Quæ enim ſplendida magis excogitari poſſunt prodigia, quàm ſi, qui literas non didicerant, ſed ſolùm à pueris retia, remoſque tractaverant; in ipſo tamen Hæbraicæ Sapientiæ Domicilio tam ſolidè, profundèque Myſteria Religionis evolvant; ut illum ipſum Deum eſſe perſuadeant iis, qui paucis ante diebus poſthabendum latronibus, crucique figendum eum eſſe cenſuere: quàm ſi claudos, ægroſque aut voce, aut ſola manus appræhenſione, aut ipsâ etiam corporis umbrâ ſanitati reſtituant: quàm ſi demum variis loquantur linguis, ut intelligant Univerſi, ſanctiſſimam eam Religionem eſſe oportere, quam unius Nationis homines, tam diſſitis, remotiſque populis, eodem momento temporis, unâque in Urbe, & amplectandam proponerent, & propoſitam, tam ingenti prodigiorum pompâ confirmarent. *ib. 6 7.* *ib. 3 7.* *ib. 5. 15.* *Act 2 4.*

Quod

Quod ſi penſiles illæ flammæ collatam Apoſtolis Sanctitatem præſignavere, ſi Linguis illis, quæ eorum capita coronavere, confirmatos, quod ajunt, in Dei gratia, atque adeo Sanctos jam eſſe Divinus Spiritus pronunciavit; cur non illam, quam naſcens Eccleſia, imò Orbis univerſus aſpexit, primam Sanctorum Canonizationem appellem?

Faxit jam Deus, ut quam olim adeò perſpicuè Primis Fidei Magiſtris Sanctitatem Paraclitus contulit; occultè nunc ſaltem iis, qui eorum ſunt loco, vel conferat, vel collatam foveat, exaggeretque. Sic enim fiet, ut nec Eccleſiæ deſuturi umquam ſint Sanctiſſimi viri, qui morum integritate, & ſignorum famâ reſplendeant: nec deſuturi Apoſtolicæ Sedi Pontifices, qui in Sanctorum numerum referant, quos non modo vitæ Sanctitas, ſed etiam miracula commendaverint.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google